



Sammelband

Ph

62





26. 25

EXCERPTA

Ex

ACTIS SENATA-  
TVS

IN PARNASSO.



A. G. B. A.

022 A. 1. 1. 1.



*Excerpta*  
**EX ACTIS SENATVS**  
*In Parnasso.*



**A** Polline Senatum habente, Coss. Liberio Germano, & Desiderio Gallo, anno seculi novi XIV. pridie Cal. Augusti, Lectum est scriptum Gallicum, cui Titulus: *Dissertation Historique & Politique sur le traitte fait entre le Roy & le Duc Charles touchant la Lorraine* Mirabantur Patres in opinabilem Scriptoris audaciam, fucis quibusdam in speciem eruditionis adornatam, quæ ne incautos falleret, uni ex Museo Historico demandatum est, ut statim brevi animadversione prosequeretur illas paginas, ne incommitatæ circumvolitarent.

Exhibuit ille postridie Patribus per modum libelli memorialis quædam in hanc sententiam concepta.

*In Proœmium.*

Regi Galliarum inscribit, addito titulo: *Imperatorum Francorum & Romanorum*. Novum & inauditum. Quid est, *Imperator Francorum & Romanorum*? Nemo ita locutus est, cum adhuc iidem essent Reges Francorum, qui Imperatores Romanorum. Solicite illa distinguebantur. Sed rectè dicis: *Imperator Francorum*, id est, qui imperat Francis. Certè: neque quisquam hætenus de vocabulo contenderit. Sed quis est hic Dissertator? an novit morem curiæ? curia civiliter loquitur. Ejus stilus nescit Imperatorem Romanorum extra Germaniam, inde ab Ottone Magno. Affectavit Imperatoris nomen Hispania, sed vel *absque additamento*, vel *Imperatoris Hispanie*: contradicentibus fortiter Henrico III. Imperatore & Victore Papa. *Mariana* testis locuples libris IX. & X. cui addes *Rod. Toletanum Libr. VII.* Si qui præterea apud Francos id egerunt, non aliter quàm Hispani fuerunt animati, & proposito ultro destiterunt. Russorum Czar, etiamsi Imperator esset (quod vulgi tantum errore creditur, Czar enim Regem significat, sicut ostendunt *Herberstenius Baro*, & *Alexander Gaguinus* in *Moscouiticis*) Russorum tamen, non Romanorum esset. Idem de aliis Barbaris dixeris. Titulos pragmaticos summis Principibus non adulatio privata decernit, sed consensus aliorum Principum populorumq; attribuit. Imò egregiè peccat, qui Principi suo illos titulos potestatis ac imperii assignat, quos ipse non usurpat, aut publicè ab aliis accipit. Major est & angustior potentissimus Galliarum Monarcha, quàm ut inter suos numerare velit, privata vocis præconio assignatos titulos. Sed de re ipsa, infra.

In universum autem ab initio dubitavi, an privati sit iudicii, de Transactionibus Summorum Principum per potiora sæpè sui momenta in alto secreto involutis pronunciare. Et sicuti non dubito, Magnum Galliarum Monarcham idoneis argumentis justitiam hujus con-

ventionis



ventionis Lotharingicæ demonstrare posse: ita valde ambigo, an Dissertator hic valde aptus esset auctor, qui Rhetoris & Sophistæ personam indutus, de rebus maximis & graviori schemate dignis, in oculis tanti Regis ludos faceret.

Valde & illud mihi videbatur dubium, an Monarcha Galliarum, qua est prudentia & animi magnitudine, posset delectari locis illis communibus, de gloria amplificandi imperii, de ratione status: qui in præfatione, nescio an tempestivè, certè parum explanatè jactantur. Veniebat mihi in mentem *Augustini* auctoritas, qui *lib. III. de Civit. Dei cap. 10. & lib. IV. cap. 15.* longè alia Rhetorica (Philosophia dico) utitur. Sciebam Christianissimi Regis Monarchiam gloria & amplitudine à Deo coronari, non inferendo Regiæ Indoli cupiditatem plus ultra eundi, sed jure & successu necessariorum armorum & optimis paciscendi rationibus, amicitis, necessitudinibus.

#### IN MEMBRUM I.

##### *Quod Lotharingia non sit membrum Imperii Germanici, sed Francici.*

Quæ hîc Dissertator adfert de jure antiquo in Lotharingiam variè jactatam, vel usurpato, ut existimat, vel vero, parùm ad rem faciunt, quam agere instituit: longeque accuratius illa sunt excussa, nec nudis affirmationibus, sed rationibus disputata à viris doctissimis *Hermanno Conringio, Davide Blondello, Ioan. Jacobo Chifletio*, in operibus satis notis. Nolo etiam attingere, quod in margine de Ludovici Filiis ponit: *Reginon les appelle Degeneres lib. 2. ad ann. 879.* quod nequaquam *Reginonis*, sed inimici *Bosonis* judicium est, cujus causam *Regino* annotat, & *Procerum Galliarum* judicium opponit.

Fas autem erit dubitare, quo jure Dissertator dicat: *Vsurpationem*, ut inique vocat, *Germanicorum Regum inde potissimum plausibilem fuisse, quod eodem, quo Franciæ Reges, sanguine orti essent, donec Ludovici Arnulphi filii morte ille pretextus cessaret.* Apud quos ergo plausibilis fuit hoc nomine ista Lotharingiæ possessio? Apud Reges Franciæ? Quis hoc dicat, qui cum iis non semel armis cerratam ea causa meminerit? Ergo apud ceteros? At nemo in hunc diem affectibus liber, cum de jure in provinciam aliquam quaeritur, magis respicit ullam propinquitatis famam, quam pactiones disertis verbis, tum inter arma, tum aliis conventionibus conceptas juratasque. Hoc enim unicum adæquatam finiendis controversiis remedium ab omni ævo habitum est. Quod si maluisset sequi Dissertator, non dedisset occasionem periculosa ipsi Principibus Philosophiæ, cujus consequentias videre non est arduum.

Unde porro Dissertator hausit, quod *Henricum I. & Ottonem I. Vsurpatorum* tantùm titulo infamat, quos Historici magno consensu, jure armorum adversus crebras rebelliones necessario, & jure tractatum ac pactionum juratarum obtinuisse Lotharingiam tradunt? Scriptores enim quos laudat, modum & artes, & rationes utrinque suasorias adducunt.



cunt, jus ipsum non vocant in dubium. An oblitus est Sigeberti, qui ann. 923. scribit: Reges Henricus (Imperator) & Carolus apud Bannam confæderantur, Carolusq; reddit Henrico Regi regnum Lotharingia; Episcopis & Comitibus utrinq; JURANDO rem confirmantibus. Supplementum Reginonis adhuc clarius ad ann. 924. Carolus & Henricus Reges apud Bonnâ castellum conveniunt, & pacem inter se facientes fœdus ineunt: & Carolus nunquam sibi amplius Lothariense regnum USURPATURUM promittens, regreditur. Ludovici Transmarini, qui patrociniû rebellium susceperat, arma, quàm facile retuderit Otto, notissimum est. Videatur Reginonis Supplementum ann. 939. & seqq. & Frodoardi chronicon iisdem annis. Quid est firmare jus suum, si hoc non est, totiens rebelles eorumque adjuutores novis semper juratisque vinculis constringere?

## IN II. MEMBR.

De eadem re.

De pacto Regis Gallia; Lotharii cum Ottone II. satis clarè contra Dissertatorem facit Sigebertus 980. Otto Imperator, Lotharius & Rex convenientes, super Charum fluvium pacificantur, datis invicem sacramentis, & Rex Lotharius Lotharingiam ABURAT. Gulielmi de Nangis auctoritas (quasi denique Imperator à Gallo in feudum recepisset Lotharingiam reservata sibi superioritate) nulla hic esse potest, sicut pridem id commentum coarguit doctissimus Conringius, de finibus Imper. pag. 47. & 48.

Quo animo Lotharius Ottone III. puero existente Lotharingiam invaserit, demonstravit Blondellus in Barro Campano-Francico, contra Dissertatorem valide nominandus.

Cum Henrico II. Imperatore Robertus Hugonis filius Rex Gallia; super Charum fluvium etiam de Lotharingia transegit, in quam secunda diu Imperatoribus Germanicis jurisdictio fuit.

Carolum IV. exercuisse jus summæ potestatis, evehendo Mussipontem ditionis Barrensis urbem in Marchionatum, fatetur Dissertator: & addit sigmentum, quasi Ioannes Rex Gallia; ut invicem suum jus vindicaret, Comitatum Barrensem Ducatus prærogativa auxerit. Sed falso Regi Gallia; tribuitur, quod etiam Imperator Carolus IV. suo jure fecit. Refutet Dissertator, si vir est, invicta argumenta Chifletii commentar. Lothariens. cap. 3. pag. 14. aliter enim non poterit explosæ fabulæ fidem conciliare.

De iis, quæ subinde acciderunt, testari potest querela Maximiliani I. Imperatoris, Chifletio & Conringio producta.

Transactionem Noribergensem anni superioris seculi XLII. Dissertator more suo, latius quàm verba patiuntur, interpretatur. Sed Franciscus Thouveninus Consiliarius

Lotharingicus, pro jure sui Ducis ex professo scribens, longè aliter explicat apud

Chifletium commentar. Lotharing. cap. 10. pag. 41. An opus est interrogare: utri credimus?



IN MEMBR. III.

Quod Rex, verus Imperator Romanorum, & Imperium inseparabiliter unitum sit  
Monarchiæ Franciæ.

Mirificè rhetoricatur hic Dissertator. Fuerit sanè successione delatum Carolidis Imperium. Pertinuerit illa gloria ad Francos. Non invident Germani. Audiatur Dissertator Scriptorem rerum Gallicarum Paulum Aemylum: Germani quoque, inquit, gloriam antiquorum Regum Franciæ Ducumque ac Augustorum, suam ducunt, quod oriundos abs se eos prædicent; apud sequè Francos adhuc Orientales esse, hos in Gallia Occidentales, sobolem illorum esse. Non prædicant hoc tantùm Germani, sed verè demonstrant: imo ipsi Galli sciunt ostenduntque. Legit, opinor, Dissertator, Hadriani Valesii res Faancicas in quibus post cæteros novissimè abunde exponit, antiquos Francorum in Germania fines, & quos in Gallia occupaverint, & quomodo nomen Gallis dederint. Quin in titulis Ottonis I. legitur Rex Francorum, in Diplomate, quo privilegium dedit monasterio Laurisheimensi 963. Adeo non abdicarunt Germani nominis illius gloriam.

Sed quod Francis propria & in perpetuum debita sit dignitas Imperatoria, etiam postquam Carolidæ defecerunt, id verò in tanta luce rerum importunum est facinus, si quis cum Dissertatore affirmet. Rationes ineptæ & responsione indignæ sunt, quæ afferuntur; quæ si valere debent, omnium & rerum & imperiorum confusio, omniumque inter se gentium bella existerent. Ex lege Salica, qui hoc conficiat, cum supra modum sapere dicas. Aulus est quidem Auctor Theatri Honoris lib. 1. cap. 2. asserere, Imperatoris titulum nemini præterquam Galliæ Regi convenire. Sed in Scriptore non magni inter suos æstimato, neque valde erudito, mirum hoc non erat. Et correxit non parum minuitque eam opinionem Scipio du Pleix, qui etiam, ex Capetiorum familia solum Franciscum I. ad Imperium aspirasse, non ratione, sed vana gloria ductum (quæ merito & fataliter successu caruerit) affirmare non dubitat. Vid. Limnai Addit. tom. I. ad I. P. p. 201.

Dissertator, tanquam novus Regnorum iudex, prorsus aliquid reperit, quod Reges Galliæ tot sæculis ignoraverunt aut neglexerunt. Cur enim Lotharius Rex Galliæ ad Ottonem Magnum profectus, tam familiariter eum complexus, omnique honore profectus est, nihil autem de Imperatoris nomine vel verbulo monuit, cum tamen & maturè in talibus protestatio sit facienda, & de Ottonis Imperatoria dignitate omnia clara aperta que essent. Cum enim errore & superstitione nonnulli de iis dubitaverint, qui à Pontifice non coronati essent, de Ottone nemini dubitatio relicta erat. Recognoscat Dissertator verba Historici Gallorum. Secundum Imperium (inquit Paulus Aemylus lib. 3.) rerumque arbitrium à justa sobole agnationeque Caroli Magni ablatum primus hic Otto JUSTUS LEGITIMUSQUE CAESAR numeratur, quod Conradus Henricusque & ceteri, qui interea ingens nomen sibi vindicarunt, Pontificis Maximi auctoritate benedictioneque caruerint, Ottonem Ioannes XII. Pontif. Max. coronavit: ad eumque in Germaniam reversum concursus totius orbis terrarum fiebat. In quo concursu etiam Rex Lotharius



rius, cum fratre Carolo & matre Gerberga Imperatorem, ut diximus, accessit. Potuitne tam æquo animo ferre Imperatoris nomen in Ottone, si sibi debitum credebatur? Potuitne Pontificis factum, si præjudicio sibi esse crederet, silentio præterire? Audiatur iterum Paulus Aemylius (lib. I. pag. 161.) in Henrico I. Pax inter Francos & Germanos, fraternumque nomen inviolatum permansit: Regnique Francici jura imperio, & Imperii Francico SANCTA extitere. Si ex hac indole (ἡνωσις Francica) aliquid hausisset Dissertator, non debuit profanis manibus contaminare sacra Imperii Germanici jura, quæ publica lege pro inviolatis habenda sunt. Ludovicus quoque VIII. cum Friderico Casare (iterum verba sunt Aemylii lib. VII. pr.) amicissimè congressus, fraternum nomen inter Francos Germanosque redintegravit: fœdusque sanctissimum iicit. In fœderibus totiens repetitis non confusa sunt Imperii, Imperatorisque ex Germanica parte; & Regis Regnique ex Gallica parte nomina. Sicut videre est in fragmento antiqui fœderis, quod Franciæ Reges cum Romanis Imperatoribus ad Tullum percussere in commentariis Pii II. lib. 3. pag. 65. cujus etiam mentionem facit Fraxineus Legatus Gallicus in oratione ad Principes Imperii apud Sleidanum lib. XXIV. Anno 1552. Quales orationes qui leget (addat enim Dissertator Legatorum Gallicorum orationem ad Ordines Imperii Spira conventum agentes Anno 1543. apud Freherum tom. 3.) deprehendet tam studiosè Gallos distinxisse Imperii Germanici & regni Gallici nomina, quàm sedulo Dissertator in confundendis iis est occupatus. Quo tandem consilio? ne periret ipsi (ut arbitror) flosculus subito impetu cogitationibus ejus innatus: Aurum corona Imperatoria ita confusum esse cum auro corona Regni Francica, ut separari nequeat: Nullo hic Archimede opus: salva res est, ceterùm qui cibus truis non potest, rore pascatur opinor.

#### IN MEMBR. IV.

*Quod Imperium Romanum non potuerit transferri in Germaniam: & quod Imperatores Germanici tantùm sint appellati Reges.*

Ex Clapmaro scilicet probandum fuit, Romam fuisse sedem Imperii Romani, & Caput rerum. Quomodo ergo, inquit Dissertator, potuit sedes Imperii transferri in locum, ubi nunquam regnarunt Romani? Ad magnam laudem hoc spectat Germanorum, quod à Romanis nunquam subacti sunt, fatente etiam Tacito in Germ. cap. 37. Sed desinere potest Dissertator Chimæras fingere de distantia locorum, & jure imaginario. Germanis hic titulus non inde natus est, quia ipsi Romam caput rerum agnoverint expertique sint, sed quia Roma ipsos agnovit Dominos. Uter major, verior, splendidior ad jus Imperii ostendendum titulus? Non opus est, longo ordine nunc referre, quomodo Imperatores Germanici Romæ summæ potestatis jure sine controversia usi sint. Quis enim nescit? An in hunc diem jus imaginarium sapit, quod Imperator noster jus habet coronæ Romani Imperii, in ipsa urbe sumenda? quod jus nullus Regum in terris habet. De quo tam certi sunt nostri Imperatores, ut ne excidere quidem eo possint, etiam si non accipiant aut differant. An jus ima-

ginarium



ginarium sapit, quod Pontifices in formulis precum coronationi Cæsarum sollennibus ceterisque caeremoniis *Suum* semper, id est, Romanum *Imperatorem* vocant? An imaginibus politicis ludet summus factorum Aristes in conspectu Dei, in locis & actibus sanctissimis? An imaginarium est, quod Pontifices ab Imperatoribus electis petunt confirmari sibi priorum Cæsarum donationes? An imaginarium est, quod Imperatores nostri creant Comites Palatii Lateranensis? An imaginarium est, quod Romanus Pontifex nomen *Imperatoris Romani* tribuit adhuc hodie Augustis nostris? De terris Italicis Pontificum Romanorum beneficiariis, alii disputant. In eo quod de corona translata affert, imperitiam suam prodit Dissertator. Neque opus est de coronis ad imperitum nunc differere.

Dicit Dissertator, *Historicos, qui scripserunt ante Carolum IV. nullam assignare prerogativam Imperatoribus Germanicis præ Regibus Francia.* Primo non satis memor est sui instituti, quo vult Regem Franciæ Imperatori præferre non æquare. Quanquam in hoc quoque malè cohæret Dissertatio, quod Regis Franciæ dignitatem Imperatoriâ majorem vult facere, & tamen de Imperatorio nomine Regi Franciæ vindicando sollicitus est. Scit utique, fuisse inter Gallos, qui nomen Regis augustius dicerent quàm Imperatoris. Deinde ridicula sunt, quæ affert de *Reginone, quod is Imperatores non alio quàm Regum nomine appellet.* Non loqui Dissertatorem de Imperatoribus, qui etiam Reges Galliæ fuerunt, manifestum est. Ergo de Imperatoribus Germanis accipiendus est. Atqui *Regino* ante Imperatorum Germanicorum tempora finit suam historiam. Non enim produxit, nisi ad annum 907. Qua fronte autem de *Continuatore Reginonis* hoc audet Dissertator dicere? Legat ab anno 962. usque ad finem *supplementi* nomen *Imperatoris* omnibus paragraphis ingeminatum. Quæ ergo est hæc audacia? Et quid vult sibi, quod ait, à *nonnullis Historicis, (quos nominat) non semper appellari Imperatores sed Reges?* Etiam si nunquam aliter quàm Reges appellarent, ea tamen illis tribuerent, quæ sunt Imperatoribus propria, quid inde confici posset, cum ista nomina solita sint pro usu seculi & temporis permutari. Sed impudentia Dissertatoris rursus apparet. Necessè est, non legerit *Abbatem Vrspergensem, qui nomen Imperatoris rard in eo invenit.* Idem de *Ottone Frisingensi* dixeris.

Finis hujus membri rursus stolsculo rhetorico valde infeliciter nato insignitur. Quem negligete quàm exagitare satius est.

#### IN MEMBR. V.

*Quo præminentiam Regum Francia præ Imperatoribus Germania probari dicit.*

Suevis vero est Dissertator, cum inquit, à *recentis annis nullum Imperatorem Regibus Francia movisse litem de primatu & præcedentia, ut loquuntur.* Quid enim moverent litem, qui in possessione juris sui erant, neque à Gallis, aut in Gallorum gratiam, aliave causa, ab ullo mortu-



mortalium unquam erant compellati? Inverte Chimæram, ut ex monstro fiat animal. Ex quo Germani tenuerunt Imperium, nemo Gallorum Regum unquam ullam Imperatoribus Germanis litem movit de primore loco. Monstret *Dissertator*, si potest, ullo publico actu controversiam motam. Privatis quippe adulatorum vocibus in his comitiis locus non est. Nam quod Anno 1521. Caleti inter Legatos Imperatoris & Regis Galliarum accidisse ajunt, pro Imperatore facit. Qui enim de unctionis tantum prærogativa contendit, quam Principum alter acceperit, alter accepturus sit, is fatetur, Regem Franciarum, libenter cessuram loco Imperatori, postquam & ipse unctionem acceperit. Et quis non videt, inter æmulorum jam armis se invicem expertorum simulatas, istam inanis contentions speciem sine spe successus illatam esse? Qui enim eo tempore Rex Galliarum de Imperatoria dignitate senserit, satis ostendit impensissimus ambitus, quo eam expertivit, & dolore ex eo, quod Carolus prælatus est.

Sed audiamus Archimedea inventa *Dissertatoris*. *Regino Abbas cum describit, inquit, colloquium Caroli Simplicis & Henrici Aucupis (ann. 924.) Carolum priore loco nominat; idque ob respectum dignitatis Regis Franciarum. Reginonis historiam ad ea tempora non pertingere, jam ante diximus. Supplementum Reginonis voluit dicere. Cui postponi non potest Sigebertus Gemblacensis, qui anno 923. alium ordinem exhibet: Reges Henricus & Carolus apud Bonnam confederantur &c. Sed si magis placet *Dissertatori Supplementum Reginonis* requirat Anno 921. & 922. ubi Rudbertus invasor regni bis primore loco nominatur, Carolus Rex posteriore. Ergo secundum Logicam *Dissertatoris* invasor regni præcedet legitimum Regem. Misera sunt eiusmodi argumenta, quæ dignitates Principum ab imperitorum Monachorum inconstanti & vago calamo suspendunt.*

Mirum vero est, quod de *Francis Occiduis & Orientalibus* addit *Dissertator*: tanquam prærogativa Occiduorum præ Orientalibus, certa esset. At Orientales sunt victores & domitores Occidentalium. Et si auctoritate standum est, agnoscent Galli locum sæpe sibi usurpatum *Gregorii Magni lib. VI. Epist. 5. ad Childebertum* scribentis: *Quanto ceteros homines Regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit.* Childebertus Francorum Orientalium Rex fuit. Tota hæc gloria ad eos spectat. Loquor nunc more vestro. De cetero enim, si serio agendum sit, invictis argumentis orientales occiduis præferri possunt.

Merito autem judicium desideres *Dissertatoris* paratragædiantis in exemplo Regis Roberti, cui Henricus II. Imperator occurrerit, gnarus scilicet eius honoris, quem totius Christianitatis Reges Regno Franciarum debeant. Nondum sufficit, ut agnoscas Rhetorem, si Imperium, inquit, esset primaria in Orbe dignitas, an Henricus hanc ei fecisset iniuriam? Potuit *Dissertatorem Baldericus Navenensis*, ne ineptire vellet, admonere, qui interpretatus hanc Imperatoris comitatem, *Quanto MAIOR, inquit, tanto humilior Regi Roberto CUM AD SE VENIRET, in villa Mosomo, in die festo S. Laurentii occurrere astimavit.* Et *Flodoardus Ann. 923.* Robertum ea causa in regnum Lotharii profectum esse, ut cum Henrico loqueretur.

B

bet,



bet, comitatus ratio Principibus, si humanitate certare, periculum sit. Sed discere potest Dissertator, quam sit ancipitis alicui, si quis velit alieno iudicio in talibus rebus uti, qui non potest expedire suum. Descripsit hoc ex *Sammathanorum Fratrum* opere: quibus non debebat excidere talis sententia. Simillimum est Henrici Imperatoris factum ei, quo Franciscus I. celebratur. Is enim Anno 1520. cum & ipse & Rex Angliæ ad urbem Ardeam colloquii causa venissent, summo diluculo petasatus & tribus tantum ministris comitatus Caletum properavit, Anglumque adhuc lecto decumbentem invisit. Vid. *Arnold Ferron lib. 5.* An hinc fatebitur Dissertator, Regi Angliæ prærogativam dignitatis concessam? Faciet opinor, si suam philosophiam amabit. Sed detrahamus larvam huic ostento apertius. *Ludovicus IV. Francia Rex Otthoni I. obviam proventus est, teste Flodoardo anno 942. Idem ad Ottonem proficiscitur trans Mosellam, anno 950. teste Eodem. De Lothario ad Ottonem profecto, supra dictum.* Si utamur hic glossa & interpretatione Dissertatoris, & uni exemplo plura opponamus: perierit causa, quam tuendam suscepit, reverso potentius in jugulum auctoris gladio, quem imbellius distrinxerat.

De Matriculæ Imperii auctoritate in probanda conditione Status Imperii non sufficit more Dissertatoris excipere. Aliam methodum docere eum potest *Andreas Gailius observ. pract. lib. I. obs. XXI.*

Quid ait Dissertator de Carolo V. Rege Galliarum, quod is, cum Carolus IV. Imperator Parisios ingrederetur, locum medium inter ipsum & filium Wenceslaum Rom. Regem cepit? Addit, ut solet, interpretationem honorationis loci. Quis unquam fando audivit in gente, quæ comitatus magistra vult haberi, Hospiti tam ambitiose desiderato, locum honoratiorem denegatum esse? cum præsertim, quascunq; per urbes iter faciebant, (Carolus & Wenceslaus) apparatissime, officiose amanterq; exciperentur. Quæ Pauli Aemylii verba sunt lib. IX: Sed audi, quæso, Dissertator, sequentia: *Infirma & morbis confecta valetudine (Carolus) Rex Augustus ad Dionysii portam in lectica occurrit. Quæ res NE EI PVDORI FORET, Augustus Pater (Carolus IV. Imp.) atatem podagramq; excusans, lectica & ipse regiam urbem ingredi voluit. Filius Augustus (Wenceslaus) patris latus in equo texit.* Conficiat ex hac narratione, si vir est, medium locum Regi Galliarum. Aut si constaret de loco, nonne certamen comitatus in Augustis Germanicis plusquam manifestum est? Nonne voluntas Regis Galliarum ad honorandos Hospites prolixa & exprompta? Sequitur enim in Aemyllo: *Festi dies adventu Casaram celebresque acti. Vinculis demta vincula, custodia emissa.* Adde iterum rogo, Dissertator, quæ præcedunt: valde enim ad rem tuam faciunt, quæ legatus Gallicus ad Carolum IV. & Filium perorat: *Quæper me agi, Rex maxime Christianus abud vos, ô Casares, voluit: eadem ipse, si per valetudinem liceret, PRÆSENS egisset &c.* Et mox: *Veniret Rex, inviseret necessitudines has suas, fraternumque nomen publicè redintegraret, ac coram sanctissimè observaret, quos animo studiosissime absens colit.* Tu de campanarum sonitu es sollicitus. Per me licet ad majora veritas animum. Annos post id tempus, de quo tu loqueris, 38. *Sigismundus Imperator incuria Parisiensi Iudex sedit, & Guilielmum Signetum Equitem creavit 1415.*

De



De libertatis Germanicæ ex continuatis Domui Austriacæ honoribus periculo frustra & impudenter metuit Dissertator. Non est tanta ambitio Augustiss. Domui Austriacæ insita, quantam Dissertator suo Regi commendare & suadere instituit. Delatos sustinet honores, non alienos ambit. Est nobis consilium domi, sunt Electores, sunt Ordines prudentia & virtute non minus suæ libertatis, quàm meritorum Austriacorum memores.

Sed non potest desinere vanitatis Dissertator: quasi Regis sui potentiam extollere non posset, nisi contemptu Imperii Germanico Romani, cujus tamen nomen ne nunc quidem cessat, iater fastidiosum illum contemptum, in Galliam trahere. Festivum est, quod ex Petrarchæ Dialogo 96. lib. 1. de remed. Fort. ea excerpit, quæ in Galliam statim retorqueri possunt. Comparat Petrarcha antiquam Romanorum Imperatorum potentiam, cum se Dominos mundæ vocarent, & quantum fortunæ omnia humana versantis arbitrio decesserit, ostendit illis verbis: *Non est amplius gaudii materia Romanum Imperium, sed humana fragilitatis & fortuna varietatis indicium.* An Galli sunt, quod fuerunt? an nullam varietatem fortunæ experti sunt? Cum utrobique ingentes factæ sint rerum commutationes, Imperii Romano-Germanici fortuna eo stat loco, unde omnibus venerabilis, & si consentiant membra tanti corporis, terribilis esse potest. Quæ cum ita sint, superbum & intolerandum est, de defectu Germanici Imperii, de profectu Regni Gallici, velut in alio orbe fabulas serere. Infeliciter verò tractat literas Dissertator, qui in Petrarcha, ex instituto scriptionis suæ, omnium Imperiorum dignitatem, etiam Romani, cum florentissimum fuit, elevante, antegressa & sequentia omnia præterit, ac id excerpit, quod ex ipso Scriptore contra Dissertatorem validissime explicari potest.

Non est opus aliquid annotare. Neque enim Genealogia Lotharingica, multum ad rem Dissertatoris, ad nostram autem, ullo modo pertinet.

#### IN MEMBR. VII.

*Quod Lotharingia, tanquam membrum Status Francia, non possit separari, quin jure publico ad Regem pertineat.*

Vix reperatur hodie quisquam non prodigus suæ existimationis, qui in rebus gravissimis, ubi & argumenta quantivis momenti ad examen vocari ratio est, tam securè colores rhetoricos affectet, sicut Dissertator Noster. Ecce, quàm facilè & subito format nobis *jus publicum status, inter jura summum scilicet, cuius beneficio & auctoritate, nemo Principum, teneatur ullis decessorum suorum pactionibus, ulla temporum rerumque commutatione impediatur, quo minus adversus omnia fortuna quæ intercesserunt, momenta, semper primo iure integra vindicet, quæ semel ex illa serie quisquàm possedit.* Didicit tamen hanc artem novam, si quid politicæ subest, à Scriptore Ministeriorum Cardinalis Richelii, cujus illa sunt, lib. II. cap. 35. in causa Lotharingica: *Iste quidem rationes hinc inde militabant; Solius autem Regis est, de iisdem iudicium, sed tantum quoad terras de sua corona dependentes, cum iudex sit supremus suorum commodorum, nullamque aliam, præter divinam, superiorem*



superiorem ad arbitrium ferendum agnoscat. Illas terras de corona dependentes extendit Dissertator ad omnes, quæ ullo, antiquissimo etiam tempore dependebant. Compendium est, quale Alexandri gladius ad quem vis nodum Gordium solvendum præbere potest. Mirari autem subit, quod non videt, hoc tam Imperatoribus Germanicis, & aliis Monarchis, quàm Rege Galliarum accommodari posse. Illius ejusdem auctoris domestici sunt, ex lib. X. Minist. Card. Rich. §. 21. quæ de omni inter summos Principes præscriptione sublata disseruntur. Itidem contra Galliam valebit in multis, quod in uno ut ad miniculum adornatur. Ex hac consuetudine nulla in orbe terrarum Pax, nedum Osnabrugensis (quam perennare, totius Christianitatis interest) paulo post valebit. Et quàm multi possessores malæ fidei, ex hac Politica inter Principes Europæos erunt? Abhorre debuit Dissertator cogitationem talis rei, nedum promulgationem.

Sed de singulis est aliquid dicendum. Prima quæstio est: An alienare Rex de regno aliquid possit, ita ut alienatio illa jure subsistat? Sicut autem absolute & confuse id affirmandum non est: ita nec omnimodo negandum. *Fernandus Vasquius* quamquam summam potestatem eo angustiarum redigat, quo redigi jure nequeunt, fatetur tamen, Regem regni coronæ res & cives in certis casibus alienare posse; nempe 1. Si ipsi cives consentiant. 2. Ob publicam utilitatem. 3. Ob necessitatem. 4. Si modica res sint, ubi consensus civium facile præsumi possit. in controversiis. *Illustr. lib. I. cap. 4. §. 5. & alibi.* Nimirum postquam de summæ potestatis subjectio constat, ratio naturalis dicat, licere ei iactura partis toti subvenire, aut minore incommodo majora redimere. Aliter enim finis civitatis obtineri nequit. Si non licet summæ potestati alienare, quid sentit Dissertator de Alsatia Austriaca Gallis cessa?

Secunda quæstio ad præscriptionem pertinet. Quod autem dicitur, summam potestatem & Principes tyrannidi præscriptionis non subiacere, nititur illa hypothese, quod præscriptio sit merum iurum iuris civilis, & pugnet cum naturali equitate. Sed hoc negandum est. Considerato enim bono publico, ne dominia in incerto maneat, & ut pœna negligentibus, finis litibus imponatur, habet secum equitatem naturalem; sicut auctoritate *Dd. probat Alciatus in Tit. Iur. Can. de præscriptionib. Quæst. 2. §. 6. &c.* Posse autem fieri, ut tacito consensu, ut alia, ita Imperii jura amittantur, naturali & gentium jure, satis ostendunt *Hugo Grotius I. B. lib. II. cap. IV. Conringius de finib. Imper. cap. 19. & præsertim copiose Limneus ad Capitulat. Caroli V. art. 9. pag. 173. & seqq. & Margerus de Advocatia cap. VI. §. 34. &c.* Ubi magnus auctorum numerus in utramque partem, & definitio in nostram. Ceterum in Eotharingica controversia non est opus illuc devenire. Præscriptionis quæstio ad consensum tacitum spectat: in hac causa transactiones, contractus, jusjurandum, nec semel intercesserunt. Et estne satis sui memor Dissertator, qui ante negavit longam usurpationem, ut vocabat, nunc eam concedere videtur.

Tertia quæstio est de successoribus antecessorum factis obligari possint? Recte autem summi iudicii Jureconsultus *Albericus Gentilis* animadvertit: *Pactiones de pace ne fieri quidem posse, nisi successores obligaretur.* De I. B. I. III. t. 2. Et sicut quæ Imperator facit cū consilio & consensu Electorum Imperii tanquam Procerum suorum & præcipuorum membrorum ac columnarum Imperii non suo particulari, sed toti Imperii nomine se-



ne fecisse censetur, per tradita Dd. apud Magerū de Advocatia c. XVI. §. 266. unde cū nec Imperium, nec Collegium Electorum moriatur, conveniens est id, quod ita factum est, perpetuo servari, & etiam per successorem Imperatoris ratum haberi, quia Electores quoque ipsum non aliter elegisse censentur, nisi cum conditione, ut rata scilicet ac firma maneant ea, quae cum consensu ipsorum per Antecessorem nomine Imperii gesta fuerunt. Ibid. Add. Carpzov. de Leg. Reg. German. cap. III. sect. 14. Ita qui Rex omnia jura majestatis possidet, sub publico actu ut repræsentat sæpe, ita obligat totam civitatem, suosque successores, eandem moralem personam civitatis referentes. Præsertim ubi ex abundantia & ratio probabilis apparet, & dissensus probabilis eorum, quorum intererat, non apparet. Gentes certe moratiores una voce fidem conventorum à successoribus exegerunt, & violatam incusarunt. Galliarum Reges non moriuntur; respondit Augustæ Cancellarius Galliarum apud Petr. Matth. hist. contin. l. 6. p. m. 337. Grammond. lib. 1. p. 4. Sed non diffundimus ista. Cogitandum interea Dissertatori exhibemus, quid futurum sit Gallis, si successores conventa Decessorum cum Galliarum Regibus servare non teneantur.

Consideret etiam diversum scribendi morem aliorum Gallorum. Grammondus lib. XV. pag. 650. & 651. edit. Tolosan. ita differit in rebus anni 1626. De Lotharingia nihil potuisse constitui, nisi accederet consensus Imperatoris pro Lotharingia, & Christianissimi Regis pro Ducatu Barrensi, qui primævi Domini sint. Lotharingia Ducatum Feudum esse ab Imperatoribus concessum, nulla masculinitatis mentione, cuius interverti possessionem in præiudicium primævi Domini, contra ius publicum & primævam Feudi legem esse. Ducatum Lotharingia redire debuisse defectu prolis masculæ ad Imperatorem, tanquam ad primum Dominum. Apud eundem Grammondum libro I Anno 1615. Anonymus Gallus scribit: Dux Lotharingia sancti Imperii Princeps est. Sunt in his aliqua, quæ censuram meruerunt: sed quo consilio afferantur, dictum est.

## IN MEMBR. VIII.

### *Quomodo iure gentium ad Regem pertineat Lotharingia.*

Quid opus, locos communes texere de jure acquirendi bello justo? Hoc age, Dissertator: demonstra, quod hoc jus belli, quod gentium jus sit, homini pactione pacis in sua iam restituito, sua tanquam victo, tanquam iure victoria adempta cupere. Vide quàm injurius sis in Regem Christianissimum. Potuit illi Lotharingiam armis subactam, salvo tamen Imperii jure, retinere lege belli. Cur non fecit? prudentia certe non defuit, defuit voluntas. Nam severioribus mitiora prætulit consilia. Altera vice in Pacificatione Hispanica iterum poterat retinere jure victoriae. Sed quoniam, & clementiæ quodam genio & in gratiam, Hispanorum reddere maluit, quàm retinere, utique cessare cœpit jus belli & victoria. Hanc voluntatem Regiam in publicas relatum tabulas, Dissertator cavillatur, & in horribilem speciem transformat, tanquam verbo quidem jus bello quæsitum cedere, re vero ipsa voluisset retinere. Quis enim post restitutionem legibus Pacis consignatam allegat jus belli?

B 3.

Quod



Quod si secretis legibus convenisset, ut Carolus Dux Lotharingiæ post restitutionem, Re-  
gi Christianissimo venderet Ducatum, honori Ducis consultum videri posset, ne cogere-  
tur, sed sponte impleret arcana pacta. Verum tum quoque ad jus belli talia referre, quid  
esset aliud, quam sanctissima arcana importunè prodere, & nullo usu in vulgus efferre?  
Quanquam ne sic quidem juris bellici vocabulis locus esset. Rex enim ultro titulo juris  
bellici prætulisset formulam contractus civilis & rogati.

Sed si tanta lubido est de jure belli disserere, etiam illud expediendum fuit Dissertatori:  
*An victor in terris victi ius tertii non hostis possit acquirere? Exempli gratia, Imperii Romano-Germanici,  
cui nunquam se hostem Rex professus est.*

Tum deinde, quia de bello in rebelles & ingratos vasallos loquitur, *in quantum vasallus  
Lotharingus aut Gallis subditus esse, crimenue rebellionis incurrere potuerit*, ostendendum erat. Ne-  
que nullæ sunt difficultates hujus loci.

Atque si de ipso contractu fuisset disputandum, *de iure Agnatorum, de Lotharingia masculina  
an & femina*, supersunt, quæ ex superioribus Gallorum cum Lotharingo actis dubitatio-  
nem habere poterant, antequam satis constaret, *suave tradiderit, aut aliena reddiderit Dux*,  
quod membro præcedenti ingeminatum est. Sed tanget aliquid de his in sequenti mem-  
bro, & mihi de ipso tractatu non est propositum agere: nisi veniam ejus rei publicè indul-  
tam intellexero. Sint interim salva per me partibus utrisque & integra omnia. Dissertato-  
ris philosophiam tantum mirari, & injurias Imperio factas attingere constitui.

#### IN MEMBR. IX.

*Quod Lotharingia tanquam Principatus hereditarius patrimonialis &  
referens naturam feudi, jure civili quoque ad Regem,  
spectet.*

Non ingrediar disputationē de re tota, ut dixi. Ait Dissertator: *Carolus Ducem potuisse di-  
sponere tanquam de re sua, cum quisq; nō civili tantum, sed naturali quoq; iure rei sua Dominus est.*  
Qui vellet disputare, diceret 1. In quantum res cuiq; sua est, in tantum legē rei illi potest di-  
cere. At cujus rei ego ita dominus sum, ut alius spē & jus successionis, imò ex parte primæ-  
vum dominū habeat, ea res nō absolute, sed salvo jure aliorū, meæ dispositiōi subjacet. 2.  
Interrogaret, unde nunc tantū potestatis Carolo attribuat Dissertator, cuj⁹ in Lotharin-  
giam arbitrium superioribus annis & tractatibus tam restrictum & limitatum est? 3. Tan-  
tum ergo juris transferre diceret potuisse Carolus, quantum sine controversia habuit,  
non amplius.

*Quæ de iure summarum potestatum in populos ad alienandum dicuntur*, quanquam certis regi  
debent limitibus, hæcenus libenter accipio, ut ad *Decessores Regis Christianissimi* accommo-  
dem quos negaverat Dissertator, potuisse quidquam de corona Gallica alienare, sicut ad  
Membr.



Membr. VII, vidimus. Ad Carolum autem Ducem ex mente Dissertatoris, non poterunt pertinere, quem pro dependente Principe & Feudatario habet.

Si Gallia mos de feudis alienandis prodesse debet Gallis: cur Imperio non profit consuetudo Germaniæ & constitutiones Lotharii III. & Friderici I. Imp. de Feudis absque consensu Domini non alienandis? Lotharingiam autem ex parte feudali nexu Imperio obstrictam esse, ex transactione Norimbergensi & interprete ejusdem Thouueino magis constat, quam de Feudo Franciæ. Dissertatori interim religio non est, fabulam dicere jus contestatissimè servatum. Qui ergo potuerit confici contractus, absque Imperii requisito consensu, non potest intelligi.

An Lotharingis major sit in posterum felicitas exspectanda, nihil attinet in dubium vocare. Sicuti & laudes Christianissimi Regis libenter meritoque omnes agnoscimus. Deus M. E. seruet.

De conventionem ipsa Lotharingica, ut ante monui, non est privatorum, absque auctoritate publica disputare: quare illuc non progressus sum. Illa tantum, quæ petulanter in Jura, S. Imperii & præter morem sanioris scripturæ effunduntur, notare, ratio fuit.

*Haftenus annotatio in Dissertationem.*

Hæc agentibus Mercurius supervenit, variaque de illo libello Dissertatoris, judicia refert. Quidam, inquit, tribuunt pervertæ illi libidini chartas in publicum jaçtandi, sibiq; nescio cujus gloriæ questum aucupandi, curiosisque animabus nova semper pabula apparandi. Quæ ut breviculi temporis scenæ serviunt, ita nullam sui memoriam in animis cordatorum hominum relinquunt. Vnde & de auctore multi parùm præclarè judicant, quod suppresso nomine, loco, tempore periclitari voluerit, an Aula Regia talibus adulationibus pateret. Rex ipse,

*Cui male si palpère, recalcitrat, undique tutus,* serio fertur improbasse ausa. Alii autem, nihil dubitant credere, ab homine Gallis infesto proficisci scriptum, quod sub specie apologematis, ingentem invidiam nomini Gallico conflare eat. Ut si quis Hispano invidiam facturus, instituat scribere *de iure Regis Catholici in utrumque Belgium, in utramque Indiam, totumq; novum orbem, in omnia Carolo Quinto possessa.* Quid non turbarum, tricarum, offensionum talis inscriptio pateret? Nempe is est nocentissimus laudandi tuendique modus, & capitale venenum, si ea tribuantur uni, quæ ad injuriam suam plurimi credunt pertinere.

Igitur Patres censuerunt, animadversionem ad se perlatam posse sane ad liberandos errore improvidos non inutiliter publicari: sed ut Apologia exacta & integra adornetur, antequam de auctore & auctoritate libri constet, **ID EQUIDEM**

**FIERI NON PLACERE.**

**F I N I S.**
























Kg 2154

ULB Halle 3  
002 613 727




56

VDTT











25  
6  
SCRIPTA  
SENNA-  
S  
NASSO.

